

Dofin igitur auxi, & exhibui ter de die duo grana extracti Hyosciami.

Libera dein fuit per septem dies ab omni convulsione, appetiit, alvusque prodiit sponte copiosa, pultacea, somnus erat tranquillus, reficiens.

Octavo die leves tantum insultus habuit in ventre, & pedibus; hi autem opio brevi suppressorebantur.

Dedi dein novem hujus extracti grana per diem, alvus inde manebat aperta, & appetitus satis bonus.

Continuavi hac dosi per binos menses, & cum nullum advertebatur convulsionis signum, tandem ab ulteriori usu destiti.

#### EXPERIMENTUM II.

**V**irgo, 24. annor., a quinque septimanis in pede dextro tremorem

con-

convulsivum habuit, ideo nec quiete jacere, nec sedere, minus ambulare poterat.

Tentatis jam variis remediis, demum dedi mane, & vesperi granum unum extracti Hyosciami.

Quinto die cœpi ter dare quotidie granum unum.

Intra paucos dein dies minuebatur tremor, & spatio trium septimanarum malum hoc penitus evanuit.

Alvum hæc ægra sub usu pilularum quotidie copiosam depositum, antea autem tantum omni biduo, aut triduo dura scybala magno cum molimine dimisit.

In urina quoque observabatur coloris mutatio, hæc enim semper limpida, aquosa, inodora fuit, & usu pilularum

reddebatur colore naturalis, aut quandoque ex rubro fusca, & tunc secessit ad fundum vasis nubecula crassa, glutinosa.

Quod autem attentionem meretur, est: quod hæc ægra semper media hora post assumtam pilulam, cœperit sentire frigus, & horrorem per totum corpus, oriebantur anxieties, prodiit mardor subfrigidus, debilitabatur visus, aderatque sensus incipientis animi deliquii.

Hæc autem symptomata ultra bina triave minuta non durarunt, & tunc ægra iterum bene se habuit, nec amisit vires, & malum in pede minuebatur; ideo hujus remedii usum continuavi, non tamen auxi dosin.

Hac ratione integre curabatur.

EX-